



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;  
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ  
propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 2. Quomodo se gerere debet Confessarius in his interrogationibus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**

## CAPUT IX.

*Quomodo se gerere debet Confessarius  
erga personas sibi ignotas.*

*Quaest. 1.* **C**ONFESSARIUS tenetur ne  
interrogare suos poenitentes?

*Resp.* Qualitas Medici, quam Concilia & sancti Patres tribuunt Confessariis declarat eorum obligationem, in interrogandis poenitentibus, non solum de peccatis, in quæ potuerunt incidere ab ultima Confessione, sed etiam circa Confessiones præcedentes, quoties adest aliquod dubitandi motivum, utrum sufficienter peccata sua declaraverint, aut quod aliquod vitium fuerit in Confessionibus præteritis, cum sit medium necessarium, ad medelam ipsis afferendam. Quare legimus in libro de vera & falsa Poenitentia, cap. 10. qui Divo Augustino tribuitur: *Diligens igitur inquisitor, & subtilis investigator, sapienter, & quasi astute interroget à peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecundiâ velit occultare; cognito itaque crimine, varietates ejus non dubitet investigare, & locum, & tempus, &c.*

*Can. Qui vult.  
De Poenit.  
dist. 6.*

*S. Th. in 4.  
sentent. dist.  
19. in expo-  
sitione tex-  
tûs.*

Quare, ut ait Divus Thomas: *Sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in Confessione, quasi Medicus vulnus, & Judex causam: Quia frequenter, quæ pro confusione confitens taceret, interrogatus revelat.*

*Quaest. 2.* Quomodo se gerere debet Confessarius in his interrogationibus?

*Resp.* Ex Angelico Doctore ibidem: *In interrogationibus faciendis tria sunt attendenda.*  
 1<sup>o</sup> Primò, ut quilibet peccator interrogetur de peccatis quæ consueverunt in hominibus illius.

conditionis abundare : non enim oportet , quòd  
à milite quærat de peccatis Clericorum aut  
Religiosorum : aut è converso. Secundò , ut  
non fiat explicita interrogatio de peccatis , nisi  
de illis quæ omnibus manifesta sunt ; de aliis  
autem ad inventionibus peccatorum , ita debet à  
longinquo fieri interrogatio , ut si commisit , di-  
cat ; si non commisit , non addiscat. Tertio ,  
ut de peccatis præcipuè carnalibus non descen-  
dat nimis ad particulares circumstantias , quia  
hujusmodi delectabilia quantò magis in spe-  
ciali considerantur , magis concupiscentiam  
nata sunt movere , ut dicitur in 3. Ethic. Et  
ideo potest contingere , ut Confessor talia quæ-  
rens , & sibi & confitenti noceat. Quare ubi  
speciem peccati , & circumstantias magis ag-  
gravantes detexerit , non amplius Pœnitentem  
interrogare debet.

Quæst. 3. Quomodo se gerere debet Con-  
fessarius erga pueros ?

Resp. Prudenter faciet , si fideliter sequatur ,  
quod tradit S. Carolus , qui ait : *Laudabilem*  
*esse consuetudinem* , ut parvuli quinque aut sex  
annos nati , ad Confessionem accedant , quia  
tunc incipiunt paulatim addiscere , seseque  
assuefacere huic Sacramento. Nihilominus ra-  
men Confessarius non debet Sacramentalem  
absolutionem impendere iis , qui materiam non  
adhibent huic Sacramento necessariam , qui-  
que per ætatem nondum ejus sunt capaces :  
instrui quoque debent summa cum cura à sep-  
timo & octavo anno , ubi capaces primùm  
incipiunt esse , de necessitate , & effectis Sa-  
cramenti Pœnitentiæ , & de modo accedendi ad  
hoc Sacramentum.

& introducendosi nella cognizione e poi nell'uso di questo sa-  
cramento. Devono nondimò i Sacerdoti esser avvertiti di non  
dare l'aboluzione Sacramentale a quelli , ne quali non si vede

S. Carol. Aeg.  
tor. part. 4.  
Instruct. Conf.  
fess.

E santa u-  
sanza di far  
venire li put-  
ti e putte,  
quantunque  
non passino  
cinque o sei  
anni , a uno  
a uno inanzi  
al Confesso-  
re ; accio che  
comincino , &  
a poco a po-  
co vadino  
instruendosi